

honestum, et solum per se expetendum, et solum bonum, Stoici dicunt.

Sex igitur hae sunt simplices de summa bonorum malorumque sententiae: duae sine patrono, quatuor defensae. Junctae autem et duplices expositiones summi boni, tres omnino fuerunt: nec vero plures, si penitus rerum naturam videas, esse potuerunt. Nam aut voluptas adjungi potest ad honestatem, ut Calliphonti, Dinomachoque placuit: aut doloris vacuitas, ut Diodoro: aut prima naturae, ut antiquis; quos eosdem Academicos et Peripateticos nominamus.

Fin. II. 2. — *Bonum* ipsum quid esset, definisses: aut, quod esset natura appetendum; aut, quod prodesset; aut, quod juvaret; aut, quod liberet modo.

Acad. prior. II. 42. Fines constituendi sunt, ad quos et bonorum et malorum summa referatur. Qua de re est inter summos viros major dissensio. Et omitto illa, quae relicta jam videntur, et Herillum, qui in cognitione, et scientia summum bonum ponit: qui quum Zenonis auditor esset, vides quantum ab eo dissenserit, et quam non multum a Platone. Megaricorum fuit nobilis disciplina, cujus, ut scriptum video, princeps Xenophanes; deinde eum secuti, Parmenides, et Zeno; itaque ab his Eleatici philosophi nominabantur. Post Euclides, Socratis discipulus, Megareus; a quo iidem illi Megarici dicti; qui id bonum solum esse dicebant, quod esset unum, et simile, et idem semper. Hi quoque multa a Platone. A Menedemo autem, quod is Eretria fuit, Eretriaci appellati: quorum omne bonum in mente positum, et mentis acie, qua verum cerneretur. Illi similia, sed, opinor, explicata uberius et ornatius. Hos si contemnimus, et jam abjectos putamus; illos certe minus despiciere debemus, Aristonem, qui, quum Zenonis fuisset auditor, re probavit ea, quae ille verbis: Nihil esse bonum, nisi virtutem; neque malum, nisi quod virtuti esset contrarium; in mediis ea momenta, quae Zeno voluit, nulla